







EPITALAMION
IN NVPTIAS CLARIS-

SIMI VIRI DOMINI GERVASII
MARSTALLERI BRISGOI, PHI-

*losophiae ac Medicinae Doctoris, &
honestissimae uirginis Dorotheae
Trutigeræ Hallensis.*

A V T O R E

SEVERINO GOEBEL
Regiomontano.



V. VITTEBERGAE
per Iohannem Lufft.

1 5 5 5.

EPIT ALAMION

IN NVPTIAS CLARIS

SIMI VIRI DOMINI GERVAZII

MASTALBER PRISGOI BNS

Joseph de Medelina Doctor, C.

don hysene ansgins Doctor

Twingent hysene

AVTOR
SEVERI
Regio



1504

VVITTEBERGAE

per Johannem Lufft.

1 2 2 2

E
PT

C

In u
Pau
Vil
Nu
Con
Nu
Tuc
Leu
Fla
Cel
Pro
Gen
Leg
Ipsa
Con
Sese
Off
Alte
v

EPITHALAMION IN NV
PTIAS CLARISSIMI VIRI DOMINI

Geruasij Marstalleri Brisgoi, Philosophiæ ac
Medicinæ Doctoris, & honestissimæ
uirginis Dorotheæ Trutigeræ
Hallensis.

Christe, tuo quondam tēdas dignate iugales
Munere, cum riuīs haustas currentibus undas
In unum uertens Sponsi conuiuia fuisti
Pauperis, ac tanto cumulasti letus honore
Vilia, casta tamen paruæ connubia Canæ.
Nunc præsens adsis mihi munera parua paranti
Coniugibus, qui iussa tui ueneranda secuti
Numinis hæc ineunt socialis fœdera lecti.
Tuq; adeo Albiadum sanctissima & inclyta mater
Leucoris, Vranie quam prolem Christus Apollo
Flatibus opposuit Boreis, hic Saxonas inter
Cælitus accense flammæ tuearis ut aræ,
Prompta faue heroæ cupienti pingere uersu
Geruasij & pulchræ feruentes Doridos ignes,
Legitimasq; faces, pompasq; hymeneaq; festa.
Ipsa satis nosti, quantum tua munera uterq;
Complectatur, alat, studeatq; augere per æuum.
Sese mortales norunt, ideoq; relictæ
Officio prolis cupiunt durare, tuiq;
Altaris cunctos dotes seruare per annos.

Geruasius Rheni Germanam natus ad oram,
Rauriacos spectans hinc agros, inde Tribocum
Vineta, Hercinijs densissima tesquaq; saltus,
Clarum ubi Brisgöis Neoburgum clauditur agris,
Obsequio coluit puerili etate parentes.
Qui patriæ fascēs tenuerunt : inde peractis
Lustris penē tribus Friburgum missus, in annis
Castalij riuus hæsīt, primasq; per artes
Ire uolens uigiles Musarum ad prima fluentia
Excubias egit, tandemq; ab Apolline lauri
Accepit baccas, huius quæ signa laboris.
His non contentus, patrijs sed ut altius iret
Finibus excessit, studia & meliora requirens,
Sollicitus passim multas urbesq; Scolasq;
Inuisit, patiens æstus, quos Sirius ardens
Accendebat agris, post ter centum octoq; lustra
Virginis à partu nostræ iam lapsa saluti.
Phyllirides placuere Deæ, sed fama Lutheri,
Et genium humanum superans doctrina Philippi,
Vltèrius mouere hominem tua ad ista Lycaea.
Non mansurus erat, quod dogmata uestra putaret
Impia, adhuc patriæ tenebris immersus, & ingens
Auerfans lumen, uobis quod spargit olympus:
At Deus illè, suos qui sponte uocatq; tenetq;
Hunc quoq; ui morbi tenuit, sacrisq; coegit
Numinis æterni paulatim assuescere uerbis.
Durus erat, cupiens defendere dogma parentum,

Nec

Nec credens hominum tot secula ceca fuisse,
Hoc & postremum meliores gignere sensus.
Acer & effrenis, qui nondum passus habenas,
Ut subsultat equus, scissoremq; excutit asper,
Sic ille obstabat uero, fera murmura fundens,
Excludensq; oculis rutilantibus obuia lucis
Præsidia, auersis & partæ uerba salutis
Auribus elidens, manibusq; ac ore repellens.
Vicit at æthereus uerbi comes ille potentis,
Inq; uias iuuenem meliores duxit, & intra
Complexus, pia diua, tuos formauit ad omne
Christicole obsequium, linguis atq; artibus orans.
Officium fecit discendo, iterumq; docendo
Artes quasq; bonas, pietatis semina, & ipsos
Linguarum fontes, & quicquid postulat usus
Aonij cœtus, quicquid sibi poscit Apollo.
Sic meruit Laurum, proprios qua culta Minerua
Artifices cingit, qua tempora docta ligantur.
Vranie in latis Musarum hanc texuit hortis,
Qua tu sponte caput, præsentè Melanchtone, doctum
Ornasti, Albiacis qua claruit ille puellis.
Es memor, ut fuerit tibi cura probata docentis,
Iuuerit ut cœtum discentem, ut soluerit ipsa
Antea alia Ebrææ penetrabilia mystica lingue.
At postquam occiduis fuit Albis fluctibus actus,
Istâq; naufragio diuulsa Academia tristi,
Tum fuit ille etiam uarias eiectus in undas.

Transierat Muldamq; Salamq; & Flumen Hiere
Naufragus, & Moenum, nec non tua flumina, Rhene,
Tandem ad Neccaricos scopulos delatus amanter
Substitit, optatam cupiens sibi habere quietem.
Sed mox ad Dubium Ligerimq; abductus iniquis
Est iactatus aquis, meliori flumine portum
Donec Sequanicum nactus requiesceret, arti
Peonia incumbens, Medicos cui Syluius hortos
Plantat, & euoluit monumenta stupenda Galeni.
Illic quicquid habet populosa Lutetia uidit,
Quicquid & ante alias Gallorum nobilis aula
Continet, omnigenæ κημερία plurima Gaze.
Quin etiam reliquas urbes, quas Gallia triplex,
Fluctibus Oceani circumdata & Anglia passim,
Et nimium feruens Hispania, & Itala tellus,
Ipsaq; nostra patens late Germania regnis
Mirantur, gnauus lustrauit mente oculisq;
Gratus ubiq; uiris magnis fuit, atq; docendo
Sese aluit, certis studiorum fructibus utens.
Non dicam quantos industrius ille labores
Pertulerit, passim diuina Mathemata tradens
Atq; legens Medicas herbas, conchylia, pisces.
Quicquid & est huius generis terræq; mariq;
In Medicos usus diuina dote repostum.
Scandit Pyrenen, Alpes, iuga & Apennini,
Innumerosq; alios montes, sulcauit & æquor
Vndisonum passim non ulla pericula uitans.

Hæc

Hæc peragens is multa tulit, sudauit & alsit.
Vtilia & studijs nostris, memorandaq; nobis
Multa reportauit, Medici cognomen & artem.
Resq; alias nostris terrisq; mariq; negatas.
Multa prius nunquam Germania uiderat, eius
Præsidio nostris quæ nunc spectantur in oris.
Si numeres, coluit nouies is quinq; Lyceæ
Publica, & arguto studio doctissima quæq;
Ingenia audiuit, normamq; modumq; docendi
Addidicit, cunctosq; sibi coniunxit amoris
Fædere, & eximia sic se quoq; laude beauit.
In pretio est habitus passim, nec defuit illi
Nominis augendi rerumq; occasio maior:
Sed tamen huc redijt studio pietatis, ubiq;
Quam coluit constans animo, sincerus & ore.
Hic Christi in cœtu delegit paupere castam
Atq; piam uitæ sociam, cui diceret uni,
Tu mihi sola places, pia tu mihi pignora lecti
Formabis, proprium tibi me, mihi teq; dicabo.
Scilicet hæc illi iam dixit, quam prius annis
Penè decem firmo coluit non fictus amore.
Viderat exiguæ dotes, studiumq; puellæ
Sæpius, ingenium magna explorauerat arte.
Cognita in hoc etiam nitens probitate parentum,
Nec malè coniiciens ex noto fratre sororem.
Dixerat huic abiens, urgentis tempore belli.
Fac soror ut Christum bene discat, ametq; colatq;.

Et sic more suo crescat uirtutibus aucta.
Meq; amet ante alios, me semper speret & optet.
Forte ego Leucoreis, unum quod moliar, olim
Redditus, inuentam, faueant si numina uotis,
Connubio iungam stabili, propriamq; fouebo.
Non sectabor opes, non formam, aut nominis ampli
Splendorem: pietas, uirtus & mutua amoris
Flamma loco summae dotis mihi habebitur, istis
Contentus uiuam, uestesq; cibosq; labori
Adiiciet nostro, qui pascit in aere pullos
Coruorum, letis qui pingit floribus hortos.
Sic abiit, Gallos, horum memor inter & Anglos
Inter & Hispanos, Italosq; nec ulla puellae
Forma nitens, aut dos, aut incluta nomina firmam,
Mutarunt hominis mentem: Se Doride sola
Sustentans omnes neglexit pectore forti,
Ipsam etiam matrem, patriamq; & sanguine iunctos,
Romana capti nimium caligine, Christo
Qui seruire uetant illum, qui dotibus istis
Præposuisse iubent repletæ munera cistæ.
Ast habet ille graues, cur spernat talia, causas.
Cur uelit hanc potius, quæ casta & sedula coniunx
Concipiat, formetq; piam, dona optima, prolem.
Hanc amat ante alias, quod in hac sibi sentiat istam
Celitus ostensam dotem. nam sæpe rogarat
Æternum nomen, sibi talem ut cordis amore
Constanti & nullo renuendam iungeret astu.

Maxima

Maxima sunt isthæc certè, sed & ipsa puella
Dulcedo quosuis potuisset uincere. tanta
Gratia inest formæ, uerbis orig, bonisq;
Moribus. Ex Veneris sortita est pyxide formam,
Ex Charitumq; sinu mores. Heliconis alumne
Infudere bonas artes, dedit inclyta luno
Noticiam curamq; domus, prolisq; regendæ,
Hinc & Dorotheæ merito sibi nomen & omen
Accepit, donis quod sit cælestibus aucta.
Adde quod hæc unum, sic mota cupidinis arcu,
Geruasium casto sibi semper amore cupiuit;
Blanditijs nullis uicta, ut præsentis amore
Sperneret absentem, telisq; potentius icta
Alterius, primos non custodiret amores.
Cottidie audisses conuerso ad sydera uultu
Et iunctis manibus niucis hæc uerba sonare:
Autor coniugij, Deus optime, cui mea curæ
Vota, præcor supplex. studiorum Saxa mouentem
Geruasium serua. nostrig; ut seruet amorem
Effice, & incolumem nobis pater optime, reddo.
Ni tibi displiceat fac sit meus ille maritus.
Hunc unum cupio, mihi cor hunc dictitat unum,
Huic uni post te uiuens, huic anxia mores
Componam, non hoc ueniet mihi carior alter.
Ergo age fac habeam Dominum, promitto fauoris
Officijq; fidem: gaudebit coniuge tali.
Audijs hæc preces, qui præsens adfuit olim.

Coniugij auspicijs Acheloia pocula uino
Permutans, lætoq; uolens has munere pompas
Ornare, & cunctis dare spemq; animumq; maritis.
Geruasium optanti toties iam reddidit, ille
Quem sibi spe nuda Doris promiserat ante,
Nunc sese sponsum præbet, cum Doride festa
Nunc Hymenæa parat, quæ tu rogo, Leucoris, orna
Dotibus omnigenis, Clariorq; affunde liquores
Versibus his, quibus est Sponsa excipienda, suoq;
Geruasio dignis socianda ornandaq; uerbis.
Ipse etiam nostri quondam sudauit ad undas
Pegafides, Musasq; sibi deuinxit, & apta
Dum libet Aonias imitatur uoce Camenas.
Ecce sed illa uenit, multis comitata quadrigis.
Inde ubi præpingues Sala præceps lapsus in agros,
Fontibus eximiam salsis præterfluit urbem,
Hæc illi patria est, quæ tota assurgit in amplas
Ipsius laudes, ostentans signi triumphi.
Sed moror, accessit propius, iamq; attigit ædes
Fraternas, Sponsusq; uenit, dilectaq; captat
Brachia, & optatas se dat quoq; Doris in ulnas.
Ibo salutatam, carmen tu suggere, utrunq;
Saluete ò multum felicia pectora, & omni
Ante alios homines semper dignissima laude.
Saluete æquandi, quos gratia summa beauit,
Coniugibus, præstans tu Sponse Machaonis inter
Cultores pridem qui nobile nomen adeptus.

Doctorum

Doct
Tu q
Virg
Vos
Atq
Qu
Nest
Vna
Vera
Sitis
Vos
Vos
Vnd
Coni
Cura
Ceu
Viui
Insul
Qua
Tali
Lau
Vos
Orna
Et p
Inpr
Doct
Hæc
Quo

Doctorem officia & praeconia summa mereris:
Tu quoq; Sponsa Chori decus ingens, gloria & ampla
Virginei, cui casta etiam Lucretia cedit.
Vos inquam tantas, dum sic duo corpora nexu
Atq; animos etiam geminos connectitis uno,
Qui cumulatis opes, saluete & uiuite in annos
Nestoreos, pulchra & numerosa prole beati.
Vnanimes & idem communi lege uolentes,
Veraces, iusti, mites, placidiq; boniq;
Sitis imago patris Christi; : hoc nomine Paulus
Vos ornat, quo non aliud praestantius orbi.
Vos beet eulogion Davidis, ut arbor oliui
Vndiq; plena, Vuis generosa & uitis abundans,
Coniugij uestri sit σύμβολον, utq; benigni
Cura patris miti uos semper protegat ala,
Ceu quoq; uim pellit radiorum pampinus uuis.
Viuite fecundi, sine litibus atq; malorum
Insultu, semper uos mitior aura secundet.
Qualis turturibus, concordia, gratia, amorq;
Talis uestra precor coniunctio, uitaq; passim
Laudetur, uitae certissima imago perennis.
Vos etiam quotquot testes uenistis, & hasce
Ornatis pompas, noua gaudia sumite, tantis
Et pro coniugibus gratantes fundite uota.
Inprimis gaude Medica tu Trutiger artis
Doctor, & Aonij non infima gloria cætus.
Hæc tibi cara soror, felici sydere nata,
Quod sic Geruasium coniungat nomine fratris,

Tu quoq; cui patrios fasces dedit Hala regendos,
Roefeler, insignis probitas, facundaq; lingua,
Mensq; sagax quem sic meritò in sublimia tollunt.
Concipe leticiam, curas & pelle molestas.
En tibi, quam moriens soror olim mæsta reliquit,
Hoc iam connubio claret pia Doris alumna.
Hoc tibi post Christum debet, tua cura fidelis,
Queis placet, ornavit magnis uirtutibus illam.
Hoc tibi Geruasius tribuit, tibi nomine & isto
Officium quoduis defert, tibi deditus uni.
Tu quoq; Chloris ades, capiat tua munera Doris.
Fac adsint primi nobis iam ueris honore,
Gramina, pastilli, flores, noua ferta, corollæ.
Vos Muse uarijs concentibus acra & aures
Mulcete, & letis præconia psallite laudum
Vocibus, atq; nouis geminate hæc uerba maritis.
O Hymen Hymenæe ueni Hymenæe uenito.
Oscula uos charites melliti utrunq; saporis
Efficite, & suau coniuugite corpora nexu.

PRECA.

Auth
Qui
Chri
Mir
Vi
Sis o
Præ
Hoc
D
Illi q
Ergo
Vxo
S
Da
Nec
Sed
Viua
S
Pro
Vt p
Oste
Nos

PRECATIO

SPONSI IPSIVS AD

Deum Opt: Max:

Author coniugij, Deus benigne,
Qui misso ad pia festa nuptiarum
Christo, qui tibi filius perennis,
Mirando hunc opere ordinem probasti.


Vini dans generosi aquis saporem,
Sis oro mihi gratia tuisq;
Præsens muneribus, iugumq; nostrum
Hoc fac ut mihi dulce sit bonumq;.

Dicebas sociam uiro creemus,
Illi quæ ferat adiumentum opemq;
Ergo non onerosa debet esse
Vxor : sed placidum uiri adiumentum.

Si nostri hic aliud merent reatus
Da mitem ueniam, rogo, petenti,
Nec sit carnificis loco mihi uxor:
Sed mecum sine bile & absq; luctu
Viuat, ceu placida obsequens columba.

Sit nobis domus aucta liberorum
Prouentu: Vt generosa uitis uuas,
Vt pingues olea undequaq; oliuas
Ostentant: ita liberis, rogamus,
Nos cinctas uideamus esse mensas.

Handb. c.
O. m. m.
Christo d.
M. m. m.
7. m. d.
S. c. o. m.
P. e. s. t.
H. o. c.
D. i. c.
I. n. d.
E. r. g. o.
P. r. o.
S. i. n. o.
D. a. m. i.
K. i. e. f. e.
S. e. d. m. e.
V. i. n. d. e.
S. i. n. o.
P. r. o. n. o.
V. i. n. d. e.
O. f. f. i. c.
N. o. r. e. i. n.



BIBLIOTEKA KÓRNICKA

14051

KA